

A. K. 65 58

Z d
7184

RECTOR
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS
AD TUMULANDUM
PLURIMUM REVERENDUM VIRUM
DOMINUM
**ALBRECHT
CHRISTIANUM
ROTTHIUM,**

S. Theolog. Baccalaur. & Ecclesiasten

ad S. Thomæ pomeridianum meritissimum,

USITATIS CEREMONIIS
hora I. hodie XV. Decembr. M DCCI.

CIVES SUOS
INVITAT.





Um Ambrosius sui temporis, D. Martinus Geierus, cathedralm Templi Thomani animaret, ex Evangelii, quae vocantur, Dominicalibus & Festivalibus, meditationes Temporis & Aeternitatis auditoribus suis proposuit. Ex quibus, de suavissimo ore, animoque docto & sancto profluentibus, quanti fructus in populum Christianum redundarint, adhuc, qui eas legunt, facile intelligunt. Etenim non docet solum nos Orator optimus, quam rationem temporis, in quo vivimus, curamque aeternitatis, qua post hanc vitam nos ex-

spectat, habere debeamus, sed etiam animos nostros eo usque permoveret, ut tempus nostrum rite impendere credendo, agendo, patiendo, & ad aeternitatem beatam pervenire tandem, studiemus. Ejus vestigiis laudabili opera insistere audivimus, Plurimum Reverendum Ecclesiasten in Templo S. Thoma pomeridianum, Dn. M. ALBRECHT CHRISTIANUM ROTTHIUM, SS. Theologiae Baccalaureum, dum elapo anno ecclesiastico Textus sacros Epistolicos, ad eundem sanctum usum, eadem prorsus methodo applicaret. Inter carera diligenter monebat, omni momento ad ostium aeternitatis homines consistere. Ut enim in rebus humanis nihil certius morte, ita hora modoque mortis nihil esse incertius. Multos, qui spes longas inchoarunt, qui prolixa negotia, amplam laborum seriem & fructus, honores, divitias animo praeciperant, senectutem autem in otium & quietatem referre destinaverant, catarro suffocari, apoplexia prostrandi, terrore exanimari, gladio confodi, fulmine necari, ruina domus oppressi, lapsulapidis dejici, aliisve modis innumerabilibus vita exturbari, & in mare aeternitatis precipitari. Scilicet infinitos morti esse aditus, quibus homines tollit. A momento vero unico illo pendere, ut aut bene nobis sit, aut male in perpetuum: momentum illud vita hujus extremum, aeternitatis primum est, in quo coram Judge summo homines comparere oportet, ut pii quidem beatitudinem aeternam consequantur, impii in infernum ablegentur. Non locum hic esse errorem emendandi, cum semel errasse, sit aeternum periisse. Hinc querebatur; multos inter mortales, pecuniam, honores voluptatesque corporis quadrati labores non differre, at ea, quae ad salutem suam aeternam pertinent, praerestinare, lente agere, tandem penitus omittere, & veluti ii, qui ambulando dormiunt, ad mortem pervenire. Non pudere eos, reliquias facemque vita reservare DEO, & id solum tempus DEO vovere, quod in nullam aliam rem conferri idoneum sit, quodque, an habitari sint, nesciant. Qua de causa obefabatur omnes Christianos, dicens: O mortales! sera nimis est vita crastina, vivite hodie; de peccatis dolete hodie, cras alia committere cavepte, quantum fieri potest: bonum, dum tempus habetis, operemini: in fide & gratia perfiliste. Hos docebat, precibus quotidianis, mortis sua tempus, locum, genus summa bonitati & providentiae Divina humillime committere, & beatum in Christo obitum orare; hoc vero simul rogare, ne improvisa & subita morte auferantur; sed spatium aliquod sibi relinquatur per poenitentiam, & sanctissimum viaticum ad discessum ex hac vita se preparandi: Attamen, si placet DEO, se subita morte tollere, non reniti: voluntatem ipsius sanctissimam in omnibus fieri, sibi bonum & salutare esse: hoc petere iterum, spatium, quo Patri suo coelesti Spiritum suum uno suspicio commendent. Quod si vero nec tantillum temporis superfluerit, in intercessione IESU, que & suas preces omnes DEO acceperas faciat, se meritos. Hanc gratiam sibi sufficere. Iustum doctrinæ divinæ cursum absolverat nuper Reverendus Ecclesiastes; jam subito ex hac vita evocatum Ministrum suum & Amicum, DEUS exemplum esse voluit, citam mortem piorum beatam esse, & mortem hominibus visam improvismam, non esse improvismam ejus, cuius vita provisa fuit. Atque hujus provisæ vita, mortisque provisæ historiam nunc texemus. Ingressus est hanc vitam Offenhausii in Thuringia, an. M DCLI. d. XII. Januar. natus Pater Dn. Johanne Rothi, Turmæ equestris Suecica, sub Chiliarcha Lilienstromio, Vexillifero, matre Christiana, Dn. Andrea Dörfliero, primum Scholæ Radeber-

gen-

gensis Rectore, post Pastore Tiefenseensi, & tandem in exercitu Suecico tredecim
annis Concionatore militari prognatam. Ubi Parer An. MDCLIX. in bello Sue-
corum cum Danis occubuisse, mater diligentem curam educationis habens, in-
pago patrio Ludi Magistro, & deinde, in oppido propinquuo Greusen, Scholæ
Præceptoribus informandum dedit, donec Scribae in Cancelleria Sondershusii
commendaretur. In hujus ministerio amanuensis duobus annis vixit. Post hos
Gymnasium celebre Halæ Saxonum adiit, in quo à Johanne Martio, Collega Ter-
tio, à Martino Lipenio, Correctore, à Valentino Bergero, Rectore septem annis
fideliter institutus, & ab eodem nominato Rectore, liberis suis Pædagogus præ-
fectus, & suffitatus fuit. Atatem jam habebat, & judicio Præceptorum, pro-
fectus abunde sufficientes ad studia Academica inchoanda: sed sumtuum ad ea ne-
cessariorum defectus, proposito remoram faciebat. Mater quidem vendito præ-
dio Halæ habitabat: parum tamen in filium erogare poterat. Accidit autem, ut
unus ex commilitonibus, Johann Grelle, Stargardiæ Pomeranus, qui in Academia
Jenensi studiis incumbebat, nostrum literis ad se invitaret, & venientem, per u-
num annum, in Museum suum reciperebat, diutius quoque ipsi concessurus, nisi do-
mum à suis revocatus fuisset. In hujus benefactoris locum, divina providentia
procuravit ejusdem Academia Studiosum, Georgium Lilium, patria Beroli-
nensem; qui contubernalem suum elegit, & victum, aliquæ ad vitam necessaria
eidem suppeditavit. Cujus contubernio per biennium fere usus, an. MDCLXXV.
Gradum Magisterii ambivit, & ob diligentiam a Frischmutho, aliisque Professo-
ribus deprædicatanam, d. II. Martii, Decano Johanne Christoph Hundeshagio, con-
donata sumrum faciendorum parte dimidia, adeptus est. Progressus fuisset in
studiis ultra, nisi res angusta pedem retrahere jussisset. Cum ergo Halæ, vidua
Vollrathi Drachstädpii, de Senatu interiore Viri, Præceptorem Filii sui desideras-
set, accepit spartam, ornavitque duobus annis. Discipulum comitem secum ha-
bens Jenam reversus est, & cum ipso in Professoris Velthemii ædibus habitavat.
Tunc Præfes, disputationem de ambitu humani meriti habuit, tanto applausu, ut
Studioi aliqui, Collegium Ethicum ab ipso aperiri exptarent. Intimatione ejus
facta, magno Auditores numero fluxerunt, quos, quia Museum non capiebat,
Auditorium suum domesticum Hospes concescit. In hoc occupatum, Scholar-
chæ tertium Collegam Gymnasi Halensem elegerunt, d. VI. Dec. an. MDCLXXVII.
quod officium initio sequentis anni adiit, & quinque annis diligenter dextreque
peregit. Quæ causa fuit, ut Conrectoratum d. XIII. Maij, an. MDCLXXXIII.
Patroni ipsi committerent. Jam videbatur Scholasticis laboribus à Deo manci-
patus esse per totam vitam, cum in iis magno cum emolumento juventutis ver-
sareetur, tam publicis quam privatis horis, & in usum ejus Institutionem Poëeos
germanicas, eruditorum judicio concinnam, scriberet. Sed eidem benignissimo
Numini placuit ipsum è Schola evocare, & ad ministerium in Ecclesia sua adhibe-
re. Ideo an. MDCLXXXIX. Diaconus superior in Templo S. Ulrici, in eadem
urbe constitutus est: postquam d. XXVIII. Novembr. Scholæ valedixisset, munus
sacrum exorsus est d. I. Dec. Memor interim dilecta sibi juventutis, notas Histo-
rico-Philologico-Philosophicas in officia Ciceronis publici juris fecit, quibus
Dissertationes utilies, de capitibus Philosophia Stoica & Peripatetica in morali-
bus adjunxit, quas Collectores Actorum Eruditorum in hac urbe recensuerunt.
Nondum triennium in partibus Ministri Ecclesiae fideliter agendis finiverat, cum
Amplissimus hujus Urbis Senatus, de ejus dotibus eximiis & vita exacta certus,
ad concionem hospitalem, ut vocant, invitaret. Habentii igitur an. MDCXCII,
d. XXV. Auguſti in æde Thomana, munus Concionatoris meridiani mox obtulit.
Quo accepto Halæ Ecclesiæ divinam gratiam appræcatus, in hanc urbem rediit, &
Domin. XVIII. post Trinitatis, fungi officio suo cepit. An. MDCXCII. Titulo
Baccalaurei à Facultate Theologica condecorabatur, quo se dignum omnino esse,
Disputationem de Trinitate Platonica erudite elaboratam, sub Præsidio Magni
Theologi, D. Jo. Bened. Carpzovii defendens, publice probavit. Si nactus do-
cendi facultatem, in Collegiis Theologicis crebris, Studiosis profuit. Scripta
Theologica ab ipso edita singula non nominamus, Theologiae addictis fatis su-
perque nota. Tandem an. MDGXCIX. à morte Virorum meritissimorum, D.
Leh-



Zd 7184

vol 18

Lehmanni & D. Carpzovii, ex Concionatore meridianu[m] pomeridianum, Senatus inclui sententia merito fecit. De Vita ejus in ministerii cursu, omnibus laudato, initio à nobis commendaro, nihil amplius addimus, nunc ad ea, quæ ad conjugii confuetudinem pertinent, pergentes. Fuit autem bigamus. Nam primum coniugem duxit an, MDCLXXX. ornatisimam Virginem Annam Eleonoram, Dn. Joh. Katzschén, Patriiti & Salinarii Hala, & Ducalis Saxonici Administratris Praefecturae Sittichenbachensis filiam, Christiani Gueinzii, Rektoris Gymnaſii Halensis famigeratissimi, ex filia neptem. Hæc liberos peperit tres masculos, & sex femellas: An. MDCLXXXI. d. IX. Maij, Christianam Eleonoram; An. MDC LXXXII. d. XXI. Decembr. Christianum Gottlieb; An. MCCLXXXIV. d. X. April. Johannam Mariam; An. LXXXV. d. XXIII. Augusti Christianum Augustum; An. LXXXVII. d. XXX. Sept. Rosinam Magdalenam; An. LXXXIX. d. XIII. Sept. Johannam Christianam; An. XC. d. XII. Sept. Christianum Gotthild; An. XCII. d. XVIII. Maij Christianam Elisabetham; An. XCV. d. XVIII. Martii Julianam Sophiam. Defundis reliquis superflites sunt, Filius unus, Christianus Augustus, filia quatuor, Rosina Magdalena, Johanna Christiana, Christiana Elisabetha, Juliania Sophia. Illa vero uxore d. VI. Decembr. Anno XCV. rebus humanis exempta, ad secunda vota animum adiecit, ac fidem conjugii rursus dedit d. XXI. Decembr. Anno. XCVI. Nobilissima Virginis Margaretha Elisabetha, Dn. D. Augusti Benedicti Carpzovii, J.C. Antecessoris, Curiæ provincialis, & Consistorii ecclesiastici Alfeldoris, Canonici Numburgensis, Viri de officiis suis optime meriti filia. Ex hac suscepit Anno XCVII d. X. Augusti filiam, Margarethanam Eleonoram, & duos filios, Anno. XCIX. d. XVII. Februarii Augustum Benedictum, Anno MDCC. d. XIX. Augusti, Albrechtum Christianum, Quibus, tammodiusima vidua, quam tot liberis orphanis, Curator summus, immo Pater celestis certissime providebit. Extrema Viri memorabilibus accenserit debent. Die VII. Decembri, peccata sua confessus erat, & unionem suam cum Christo, corpus & sanguinem ejus d. VIII. accipiens, firmaverat. Die X. qui erat Sabbathi, tam matutino quam pomeridiano tempore bene valuit. Quanquam enim ab anno, & quod excurrit, vertigini magna, deliquio memoriae & loquendi, semel iterumque, etiam dum concionaret, fuit obnoxius, nihil tamen horum aliquo tempore passus est; sed potius asperveravit, post effectum, quo vespertino tempore legens in Collegio Theologico corripiebatur, integras sibi vires esse. Verum, cum dicto Sabbathi die post horam IV. è templo, in quo poenitentium confessiones audierat, rediisset sanus, & in Museo suo meditationes, in Tertiū Articulum Symboli de Sanctificatione, in Ecclesia sequenti die Dominica proponendas ageret, vehementi catarrhe apopleptico derepente affligebatur. Mox pulsans more solito significabat, velle se, aliquem ex domesticiis ad se venire. Accidentes admodum infirmum reperiebant, & charissimam conjugem, quam desiderabat, advocabant. Hæc appropans, vidit in lecto maritum federe, & verbis difficulter,clare tamen prolatis orare audivit. Ipsa, ut in summa animi consernatione poterat, preces acclamabat, hacque verba ultima balbutientem dicere percipiebat: Domine IESU, Tibi vivo, Tibi morior: Pater, in manus Tuas commendo Spiritum meum. Post hæc Sensus omnes defecere, nec mediis adhibitis redierunt. Adveniens Confessionarius ejus Dn. D. Seligmannus, & duo Collegæ conjunctissimi presentes, quod potenter, pro beatâ analysi agonizantis, preces ad D'EM fundebant. Atque hic quoque eam misericordissime fecit, mox post horam VI. Ministri sui Animam, possquam in corpore mortali fuisset quinquaginta annos, & menses XI. ad se recipiens. Quibus pensatis, quis non affectariet nobis, mortem subitam Amicorum DEI beatam esse, & improvisam non esse ejus, cuius vita fuerit provisa. Nobis, Cives Academicæ, incumbit Viri beati funus honorare. Id, cum hodie hora I. effervendum sit, vestram frequentia expetimus, & expectamus, quod certi simus, velle Vos hoc officium libenter facere, ut moestissimæ Viduæ, & toti familie amplissimæ in luctu posita, ovula vestram declaretis. P. P. d. XV. Decembr.

A. C. MDCCI.

LIPSIÆ, Literis Immanuelis Titii.

X 293 9588

mo

A.K.65 58

Z d
7184

RECTOR
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS
AD TUMULANDUM
PLURIMUM REVERENDUM VIRUM
D O M I N U M
ALBRECHT
CHRISTIAN
ROTTTHIU
S. Theolog. Baccalaur. & E

ad S. Thomæ pomeridianum meri-

usitatis CEREMONIIS
bora I. hodie XV. Decembr. M D

C I V E S S U O S
 INVITAT.



Farbkarte #13									
Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black	B.I.G.